

vite spacia traduceretur. At vobis cum inopia  
somnia, tum immenso mordacium curarum agmine  
interpestiui canis circum tempora sparguntur,  
& properata gradu tacito senectus obrepit,  
simul irruunt in exhausta continuis libidinibus  
membra dolores laterum, stomachi cruditas,  
manuum tremor, pedum incostantia, dispnea  
distillationes, angina, facer morbus & articularis  
atque alia mille id genus mala, quibus  
omnes rationes voluptatum iugulatae penitus  
concidunt: tum delicias nacti gratam possessione  
dominantur, contumacissime potibus em-  
plastris & mithridaticis medicorum anthidosis  
resistentes, ut non temere nisi cum exhalatione  
anime digrediantur. Quotus quisque est  
non dicam tyrannorum, sed iustissimorum regum, qui  
curricula vite leuiter clementius fato non violente  
morte perierit? CÆS. Homerus tamē ait,  
eos sub aureo Iouis clypeo consistere. SyL:  
Mirum quo processerit humana credulitas, quasi  
non gratior esset diis innocentia pauperum  
impotentium regum dominatione, aut fortasse minus  
accepta est thuris & verbenarum incensio  
lacrisque sacrificia, quam Hecate superbe litationis  
vana ostentatio. CÆS. Verisimile est deos  
magis gaudere quam imolantur arma tanquam  
populare cenaturos, SyL. Nequaquam ita est Cæ